Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Vita sancti Lulli archiepiscopi et confessoris

Lullus apud anglos Saxones haut obscuro ut fertur editus est loco genere nobilis fide tamen longe fuit multis nobilior. A parvo siquidem in eo gratia spiritus sancti cum lacte carnis lac sugebat divine karitatis iamque in utero lactentis infantie tenero pulcherrimos quosdam bone indolis flores florebat. Nequaquam enim consuetudine huius etatis nugis ac lascivie animum induxit. sed statim a tenero ut aiunt ungue totum se festive spei tyro milicie Christi devovit. Denique cum septimum etatis annum contigisset in monasterium se contulit. ubique multos annos cunctis ornatus virtutibus exegit. Erat ei affluens scientiarum scripturarum scientia. qua nequaquam abutebatur in superbiam. sed ubi intendens in opera scientiam que inflat. karitate que edificat temperabat et quo litteris est instructior eo in bonis operibus erat frequentior. Corpus suum cottidianis pene ieiuniis in servitutem redigebat. atque ut naturalem carnis fervorem restingueret nichil pensi habebat. quibus erumpnis exteriorem hominem afficeret. Sermo eius sapientie sale conditus erat semperque in dicendo miram mansuetudinem atque humilitatem reddebat. Loquens enim ex habundantia cordis sui. vas spiritus sancti. aliud non poterat eructare quam quo plenum erat mel karitatis. et oleum leticie spiritualis. Sola hec ei esse solebat inter fratres sermonis materia. quam incerta et brevis cui sit vita mortalium. quam cito emarcescant flores secularis glorie felicem fore. et omni laude predicandam antiquorum patrum memoriam. qui vite carnalis spurcicias in maculato calle transissent. quique triumphato hoste antiquo angelica iam pace et dei fruerentur contubernio. hos imitando fore ad horum consortia animo suspirando conversatione currendum summis viribus enitendum esse. Huiusmodi verbis cottidie et se ne circa propositum languesceret incitabat fratribus suis non modicum divini amoris fomitem ministrabat.

Eodem tempore in gallia magontiacensem archiepiscopatum administrabat vir per omnia preclare fidei et magnarum virtutum bonifacius qui ex eisdem britannie partibus propter deum peregre profectus erat. et predictum virum consanguinitatis linea proxime attingebat. Hic regimen pontificale ingressus repperit per totam pene galliam in aliis quidem locis plurimas pristine gentilitatis feces resedisse in aliis vero fidei calorem super habundante iniquitate ad purum refrixisse. In inmensum quoque cernens messem excussisse duriciam. tempora vero illa magnum pati operariorum penuriam remisit in britanniam multos quorum spectatam habebat fidem. et ex ipsis tam facundie quam sciencie spiritualis flumen ex inmensi inopiam evangelii evocavit. Non nullas etiam feminas ascivit ad instituendam in galliis castitatis ac pudicitie scolam. quarum plereque ab utero matris se propter regna celorum castraverant sub professione virginitatis pleraque thorum coniugalem experte post secundam virginitatis naufragium tabulam viduitatem amplectebantur. Inter has erat et matertera beati Lulli virilis admodum animi et mascule virtutis femina nomine chunihilt cum filia sua que excepto virginitatis privilegio scientia quoque et morum gravitate matrem equabat. Que in turingia in monasteriis feminarum prelata virtutum magnis virtutibus claram exegerunt multosque ad prime in seculo florentes tam viros quam feminas ad emulationem instituti sui excitaverunt.

Sed postquam celebris per britanniam rumor percepit de feliciter rebus gestis beati bonifacii sancto lullo adhuc in monasterio constituto. cum iam diaconus esset ordinatus nobilis quedam flamma exarsit in pectore ut viro dei tam necessaria occupatione perfuncto opem ferret nec in tanto necessitatis articulo castris dei se subtraheret indignum scilicet nec rationibus suis satis honestum fore arbitrabatur ut cognationem hanc difficilem et arduam duceret. quam tociens infirmior sexus feminarum usurpasset. Paucis itaque diebus deliberatione secum habita patrem monasterii adiit eique quod animo agitaret aperuit. A quo multis modis temptatus cum nulla arte nullis verborum blandiciis deduci posset a sententia. vale faciens fratribus iter aggressus est. cunctis eum flendo prosequentibus et tam audaci cepto felicem exitum inprecantibus. Profectus est itaque festinanter deum habens itineris socium et omnium que proficiscenti obstitissent propulsorem et post multos terre marisque labores. tandem intravit germaniam. Cum temporis summam rerum in galliis teneret karolus vir inclitus et fide ac armis prestantior. itaque cum sanctus Lullus se beato bonifatio presentasset gratissimum ei habuit adventum. non tamen in eo venerat vira propinquitatis qua ei sicut est predictum familiaritate accedebat quantum fidei fervorem ingenii acumen. affluentissimam scientiarum scripturarum scientiam de quibus rebus iam pridem ad eum fama detulerat. Cumque aliquantis diebus eum apud se retinuisset et ex convictu domestico certiora iam cepisset experimenta consolationis eius et flagrantis industriam animi. vivacis ingenii et verum celi animal plenum oculis ante et retro intellexit hunc divinitus in gallias destinatum. ut sibi iam decrepita etate urgenti onus pastoralis cure allevaret. Aliquos tamen quos habere potuit industrios verbi ministros circumquaque ad evangelizandum gentibus regnum dei transmisit. hunc assidue secum habuit et per omnia familiare sibi contubernium prestare voluit quatinus suo speciali institueret exemplo et iam nunc usu disceret quam sollicite domui dei preesse deberet.

Multis diebus post hec evolutis cum vir dei bonifacius iam supprema etate agens et debilitate corporis fractus non posset diutius sinodos frequentare et cetera pontificalis officii munia explere incidit ei in animum ut in fresiam iret. et gentilis populi barbariem gladio spiritus quod est verbum dei debellaret. Ante quidem idem temptaverat sed efferata natio et parum a bestiali secta distans non leviter ferebat extorqueri sibi diu insolitam consuetudinem ydolatrie nec leve Christi iugum sustinere poterat que pro impetu anime petulantis passim in omnis se libidinem transfunde consueverat. Unde vir dei necessitati cedendum ratus recesserat et vitam suam adhuc pro multa ecclesie profuturam furentibus et manum sibi iam inferre volentibus subtraxerat. Hunc autem cum cursum vite consummasset et in ipso ut ita dicam vite celestis portu navigaret ceptum